Viro Celeberrimo ac Doctissimo
Paullo Danieli Longolio
S. D. P.
Arnoldus Drakenborch.

Ut voluntati tuæ morem geram, nihil antiquius habeo, quam ut prima hac occasione excerptorum Livianorum ac literarum Clodio commissarum fatum te doceam. Scias itaque, Vir Celeberrime, me ea omnia, quæ vel interiisse, vel intercepta fuisse existimaveram, tandem ante hos paucos dies salva accepisse, simul cum addita ipsius Clodii epistola, qua omnem negligentiam a se in fratrem amoliri conatur. Verum, quidquid etiam prætexat, culpam fatenti donare, et summo jure experientem absolvere nequeo. Si enim, quod mandatum erat, curæ sibi fuisse re ostendere voluisset, literas tuas non fratri, sed nautis tradere debuisset, qui ter quolibet die statis horis Amstelodamo Trajectum proficiscuntur, et, ut commodis incolarum consulant, per varia urbis istius loca capsulas expositas habent, quo literæ perferantur, ne ex remotioribus maxime urbis partibus ad vectoriarum stationem usque excurrere necesse sit. Ad interim plurimum gaudeo, ferias per

ejus negligentiam typographis datas, non fuisse diuturnas. Quam primum enim varias, quae opus per duas tresve hebdomadas moratae erant, acceperim, telam interruptam pertexere perrexerunt, et in ea nunc naviter desudant. Fac igitur, Vir Celeberrime, ut, si quid otij gravora negotia tibi concedant, excerpta quinti et sequentium librorum quam primum accipere queam, aut certe ad tempus praesto sint.

Aegyptium ad SCtum de Bacchanalibus, priusquam ultimae tuae mihi traderentur, jam ad Wetstenium remiseram; cujus cura nunc tibi redditum fore spero. Quod autem eum mihi commodare volueris, gratias tibi ago maximas. Verum oleum et operam perdidit Wetstenius, quod librum hunc Lipsia usque usui meo petierit, quem proxime Amstelodamo ab amicissimo D'Orvillio accipere potuissem. Eum enim Aegyptium in itinere Italico sibi comparasse, et in Belgium adtulisse noveram. At potius mandaram, ut videret, si Lipsiae, quo frequentius bibliopolae Itali ad mercatum confluunt, venalem prostantem reperire posset. Sciebam enim me postea eo opus habiturum, ut inde adcuratius, quam ex prioribus exemplis, exprimeretur ipsum SCtum, et simul excerperetur expositio Aegyptij; cujus partem Livio cum non nullis alijs opusculis, ipsi inlustrando inservientibus, subjicere mens est.

Partem Livij prelo expressam, quam videre te velle significasti, ubi primum

possem, misissem, si id ex pacto convento cum typographis inito mihi integrum fuisset. Ipsi enim mihi, et invicem ego ipsis religiose polliciti sumus, nos curaturos, ne, priusquam universum opus typis descriptum sit, aut certe ad finem vergat, in cujusquam manum perveniat. Hinc factum est, ut, quum olim ejusdem rei mentionem faceres, non aliud tibi promittere potuerim, quam operam daturum, ut integri anni spatio Livium evolvere ac perlegere possis, priusquam publice extet; et nunc etiam promitto, me dictis ~~[illegible]~~ staturum. Ut itaque his tibi satisfieri patiaris, etiam atque etiam rogo. Neque id petenti denegabis, qua tua est in amicos indulgentia, nisi, ut perfide fidem datam fallam, exigendum existimes.

Arntzenio, qui cum nova nupta super aliquot dies Trajecti moratus est, ex priori epistola tua praelegi, quae ipsi de Pliniani Panegyrici variis lectionibus indicata volebas. Is autem respondit, ut, ubi commodissimum foret, codicem conferres. Se enim nondum urguere. Id autem tanto libentius nuntio, ut inde intelligas, operam ipsi addictam non impedituram, ne Livii mei memor esse possis.

Vale, Vir Celeberrime, idque tibi persuade, ubi tibi atque eruditis laboribus tuis ex usu esse potero, operam meam tibi paratissimam fore.

Dabam Trajecti die XXVI. Junii anno CIↃ IↃ CC XXXIII.

22

von Clëve den 30 Januarÿ

Monsieur

Monsieur Paull Daniel
Longolius

Franco Emmerich

Leipzich

Datum Cliviae. d. xxx. Januarii anno CIↃ IↃCCXXXIII.